



Theologiae Spiritualis Scholasticæ Et Moralis Tomvs ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Joannis Duns Scoti D. Augustino Conformem

In quo tractatur de Providentia Divina, Prædestinatione & Reprobatione.

Item de Fide Divina, ejus veritate, obscuritate & credibilitate

Bosco, Jean a

Antverpiae, 1686

Concl. V. Bona opera moralia possunt esse effectus prædestinationis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73708](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73708)

cum quibus homo peccabit: est ergo effectus
prædestinationis, quemadmodum permissio
peccati, tunc nimirum, quando ex tali pecca-
to, vel occasione peccandi per accidens sequi-
tur bonum ad salutem electorum.

*gl.
Exemplum
causae
Dei
Fieri.*

Hoc pacto effectus praedestinationis. David
videndi mulierem, cum qua adul-
terium commisit; & effectus praedestinationis
Petrus fuit occasio pravae societatis, per quam
Christum negavit, ut indicant Patres. Item
fuit effectus praedestinationis Martyrum, quod
vixerint tempore persecutionis; & effectus
praedestinationis aliquorum, quod nati fuerint
ex parentibus infidelibus, qui eos propter fidem
apud Tyrannos accusaverunt, ut filii coronam Mar-
tyri consequerentur: ac tandem sive eadant
electi per occasiones peccandi, sive eis resistent,
totum edere potest in bonum salutis eorum,
quod effectus praedestinationis ipsorum. Ha-
ctenus Theod. Restant aliquae difficultates circa
bona opera moralia, pro quibus enodandis in-
stituitur

CONCLUSIO V.

Bona opera moralia possunt esse
effectus prædestinationis.

QUod bona opera moralia, quibus electi vel ad justificationem disponuntur, vel jam justificati augmentum gratiae & gloriae promerentur, id est, opera moralia supernaturalia in quantum procedunt à gratia sint veri effectus praedestinationis eorum, manifestum est ex haecenus dictis. Quis enim nesciat, ea esse Dei beneficia, quibus certissimè liberantur quicumque liberantur? Quis ambigere possit, ea esse dona gratiae? Est autem praedestinatio, ut jam non semel diximus, praeparatio beneficiorum quibus certissimè salvantur electi. De his ergo nolo hic disputare. Et si queras, sub quo effectu generali ex enumeratis ab Apostolo Rom. 8. comprehendantur? Patet, quod sub justificatione, vel etiam glorificatione, quatenus sunt merita vel congrua primae gratiae justificantis, vel condigna augmenti gratiae & gloriae.

De quibus igitur operibus bonis hic contro-
venitur: de operibus naturalibus, itemque de
supernaturalibus, inquantum procedunt a libe-
rio arbitrio. Sunt namque, qui negent esse effe-
ctus: sed oppositum docet. Smil. sup. n. 250.
et 252. In primis ergo dicit, ut opus moraliter
bonum reducat ad ordinem gratiæ Christi,
hinc adeo in electis prædeterminationis effectus,
scilicet, quod sit ex speciali providentiâ & in-
tentione Dei perducendi hominem in vitam
æternam, siue aliâs procedat ex speciali auxilio,
sive ex generali consensu Dei, & naturalibus
libertati creati viribus: unde cum omne electo-
rum opus moraliter bonum probabile sit tali
providentiâ & intentione speciali esse divinitus
prædictum, existimamus, omne hujusmodi
opus esse in electis effectum suæ prædestinati-

onis. Sic ille.

Et colligitur ex Scoto 1. dist. 41. §. Potest au-
tem dici, n. 11. ibi: Deus volens huic (creature
beatificabili) aliquid istius ordinis, prius vult huic
creature beatificabili finem, & quasi posterius vult
sibi alia, que sunt in ordine illorum, que pertinent
ad illum finem; sed gratia, fides, merita, & bonus
usus liberi arbitrii omnia ad istum finem sunt ordi-
nata &c. Ubi Doctor noster expressè distinguit
bonum usum liberi arbitrii à gratia & meritis;
ergo loquitur de bono usu naturalis, quando
scilicet ad istum finem specialiter est ordinatus
à Deo. Et reverà, si sufficiat illa specialis providen-
tia, ut alia media naturalia, de quibus ha-
tenuſ egimus, pertinent ad ordinem gratiæ
per Christum, sique in electis prædestinationis
eff. etus; cur non itidem ea sufficiat in ope-
ribus moraliter bonis?

Porro omne opus moraliter bonum electis illà speciali intentione & providentià esse præfinitum, probat Smil. sup. n. 250. quia vel est meritum vite æternæ, si fiat ab homine iusto, & ex motivo charitatis vel spei; vel, si saltem ex fide fiat ab homine peccatore, est meritum de congruo auxilii ad penitendum, juxta illud Tobie 4. v. 11. *Eleemofyna ab omni peccato, & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras.* Ecce. 3. v. 33. *Eleemofyna refistit peccatis.* Vel, etiam non procedat à charitate, fide, vel auxilio speciali, saltem relinquit habituales inclinationem ad bonum, vel impedit aliquod peccatum, vel relinquit memoriam sui, ex qua postmodum electus excitetur ad gratitudinem erga Deum, aut ad iterandum illud opus; atque ita verisimile est contingere, ut semper aliquo ex his modis opera moraliter bona electis cooperentur in bonum salutis, & in eum finem sint illis præfinita à Deo. Ita Theodorus.

Quæ si vera sunt (ut putamus) non potest esse rationabile dubium, quin opera meritoria, etiam quæ procedunt ex libero arbitrio, sint effectus prædestinationis. Sicnim opera moraliter bona merè naturalia, id est, quæ non procedunt ex gratiæ efficacia, sed ex solis viribus liberi arbitrii, sint tales effectus, quidni & illa opera, quæ simul procedunt ex efficacia gratiæ, & viribus liberi arbitrii, quidni, inquam, sint tales effectus, inquantum proveniunt ex viribus liberi arbitrii? Ideo, inquit, quia efficax gratia tollit libertatem arbitrii. Contra, ergo male Trid. sess. 6. can. 32. definitivè bonorum operum merita, & præmia: Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sine etiam bona ipsius justificati meritis, aut ipsius justificationis bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam & Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, sunt, non verè mereri augmentum gratiæ, vitam æternam & ipsius vitæ æternæ, si tamen in gratia decesserit, consecutionem, etiam quæ etiam gloriæ augmentum, anathema sit. Et Araus. can. 18. Debetur merces bonis operibus, si sunt; sed gratia quæ non debetur, præcedit, ut fiant. Gratia scilicet adjuvans liberum arbitrium hominis lapsi.

IOI.
Colligitur
ex Scoto.

102.
Probatu ex
ratione.
 Smiling.

103.
Opera me-
ritoria, quæ
procedunt
ex libero
arbitrio,
sunt effectus
prædest.

Concil.
Trid.

104.
Et libera
tam in
statu natura
lapse quam
innocentia,
cui opera de
meritoria
S. Aug.

Quid miramur? in statu innocentiae ad boni operis meritum debet abesse necessitas, & manere completum liberum arbitrium; ut, ad demerendum. Talem libertatem requirit, docet S. Aug. disp. 1. contra Fort. Manich. Anima . . . rationalis, quae est in homine, dedit Deus liberum arbitrium. Sic enim posset habere merita, si voluntate non necessitate boni esset. Cum ergo oporteat non necessitate, sed voluntate bonum esse, oportebat, ut Deus anima daret liberum arbitrium. Hinc autem anima obtemperanti legibus suis omnia subiecit sine adversitate (in statu innocentiae) ut ei cetera, quae Deus condidit, servirent, si & ipsa Deo servire voluisset. Si autem ipsa noluisse (servire Deo) (ecce libertas ad demerendum) ea, quae illi serviebant, in penam ejus converterentur. Idem postea extendit ad hominem lapsum, de quo adduxerat Fortunatus textum Apostoli, Ephes. 2. Illa Apostoli lectio (ait Aug.) quam recitare voluisti, si non fallor, pro mea plurimum, & contra tuam fidem facit. Primum quia ipsum liberum arbitrium, quo ego dixi fieri, ut anima peccet, satis hic expressum est, cum peccata nominavit . . . qui enim cogitur necessitate aliquid facere, non peccat: qui autem peccat, libero arbitrio peccat. Disp. 2. contra Fort. id dicit manifestum, attendite: Qui non voluntate peccant, non peccant. Hoc arbitror omnibus apertum esse atque perspicuum . . . Peccata, ut dixi, nisi libera voluntas esset in nobis, peccata non essent. . . Manifestum est peccatum non esse, ubi non est liberum voluntatis arbitrium. Et infra deinde respondet Fortunatus: Ego dico peccatum non esse, si non propria voluntate peccetur: hinc esse & primum, quia propria voluntate recte facimus . . . Quis autem dubitet, non deferri primum, nisi ei, qui bona voluntate aliquid fecerit? Ex quo intelligimus & penam inferri ei, qui voluntate mala aliquid fecerit.

105.
Libera tam
men arbitrii
sum Deus
non dedit ad
peccandum.

Similia contra Manichaeos habet l. 2. de lib. arb. c. 1. Homo, ait, debuit habere liberam voluntatem, sine qua recte facere non posset. . . ad hoc autem datam, vel hinc intelligi potest, quia si quis ea usus fuerit ad peccandum, divinitus in eum vindicatur. Quod iniuste fieret, si non solum ut recte viveretur, sed etiam ut peccaretur, libera esset voluntas data. Subdit postea. Deinde illud bonum, quo commendatur ipsa iustitia in damnandis peccatis, recteque factis honorandis: quomodo esset, si homo careret libero voluntatis arbitrio? Non enim aut peccatum esset, aut recte factum, quod non fieret voluntate. Ac per hoc & poena iniusta esset & primum, si homo voluntatem non haberet liberam. Debit autem & in supplicio & in premio esse iustitia, quoniam hoc unum est bonorum, quae sunt ex Deo. Debit igitur Deus dare homini liberam voluntatem a necessitate tam ad demerendum, quam ad meritum: nec magis ad demerendum personale sufficit voluntarium & liberum, voluntate & libertate aliena, quam ad meritum, ad quod non sufficit: alias opus necessarium, quod in homine integro non fuisset laudabile ac meritum libertatis solius defectu, in homine lapsio laudabile & meritum esset, non obstante libertatis defectu.

Non sufficit
ad peccandum
voluntarium
aliena.

106.

Vis plura, quibus probetur gratiam efficacem non inferre necessitatem, & ideò, nec obesse merito? Necessitas bene agendi orta aliunde v.

g. ab astris, fato, animā essentialiter bonā, vel divinā praescientia, obesset merito. S. Aug. agens contra Manichaeos, Fortunatus, Ciceronem, &c. de quo alibi. Ergo ab identitate rationis, gratia efficax si necessiter, obesset merito. De fato quidem & astris ait S. Aug. lib. 2. cont. Faustum c. 5. Nos quidem sub fato stellarum, nullius hominis genesim ponimus, ut liberum arbitrium voluntatis, quo vel bene vel male vivitur, propter justum iudicium Dei ab omni necessitate vinculo vindicemus. Adde Originem apud Eusebium Orig. 1.6. praep. c. 9. Non solum gentiles stellarum ex conjunctione aique aspectu, quae in terris sunt, necesse est accidere credunt: verum etiam multi ex fidelibus conturbantur, impossibile aliter fieri credentes, quam stellarum cursus effecerit. Unde sequitur nullam in nobis esse libertatem, nullam operationem nostram laudari aut vituperari posse. Cicero quoque de Div. aliis, supposita praescientia Dei, necessitatem inferente, concludebant, ut refert S. Aug. 1. de civit. c. 9. Frustra leges dantur, frustra obsecrationes, laudes, vituperationes, exhortationes adducunt, neque ullā iustitiae bonis premia, & malis supplicia constituta sunt. Hanc conclusionem eorum non improbat S. Aug. sed antecedens, probatque multis praescientiam Dei non necessitatem, sed potius libertatem arbitrii inferre. Ait itaque c. 10. Si enim necessitas nostra illa dicenda est, quae non est in nostra potestate, sed, etiam si nolumus, efficitur quod potest, sicut est necessitas mortis: manifestum est, voluntates nostras, quibus recte vel perperam vivitur, sub tali necessitate non esse. Multa enim facimus, quae, si nollemus, non utique faceremus. Et infra dicit ad nobis ejus negare praescientiam, ut liberi esse videmur, quo adjuvante sumus liberi, vel erimus. Proinde non frustra sunt leges &c. . . & iuxta premia boni factis & poenae supplicia constituta sunt. Non ergo gratia tollit libertatem arbitrii, sed ipsam magis adjuvat, ut, quod aliās se solo non faceret, cum gratia conjunctionem efficiat, iuxta illud D. Aug. de Dono persever. c. 13. Nos ergo volumus, si Deus in nobis operatur & velle; nos ergo operamur, sed Deus in nobis operatur & operari pro bona voluntate. Hoc nobis expedit & credere & dicere, hoc est primum, hoc verum, ut sit humilis & submissa confessio, & detur totum Deo.

Igitur voluntas cooperatur gratiae, libere eadem assentiendo, ita ut (sunt verba Trid. sess. 6. c. 5.) tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agit, sed inspirationem illam recipiendo; quippe qui illam abijcere potest; neque tamen sine gratia Dei movetur ad iustitiam coram illo liberā suā voluntate possit. Sic ergo Deus praefinit non modo lux gratiae in influxum in bona electorum opera; sed etiam ipsam electorum eum gratia cooperationem: ergo etiam haec cooperatio est effectus praedestinationis. Patet Consequentia; quia illa praedictio nostrae cooperationis est efficax praeparatio alienius mediis ad salutem: ergo est praedestinatio, ac per consequens, illa cooperatio nostra est praedestinationis effectus. Ita Smil. l. p. n. 252. pro sua & nostra sententia.

Quem sequitur Felix sup. cap. 5. diff. 3. n. 5. dicitur

dicens, bona supernaturalia, prout procedentia à libero arbitrio, esse effectus prædestinationis. Et ratio, inquit, est; quia meritum nostrum adhuc præcise, & sub formalitate, quâ à libero arbitrio procedit, subijcitur efficientiæ gratiæ & auxilii, cum Deus faciat, ut faciamus: ergo dependet à voluntate Dei prædestinantis, quâ Deus non solum vult concurrere ad illud per suam gratiam; sed etiam quod ipse prædestinatus concurret; nam non potest aliter elicere actum meritorium, quam concurrente. Sic ille. Et actus est meritorius non solum ut est à gratia; sed etiam ut est à libero arbitrio: quia (inquit Smil. sup.) meritum necessariò involvit respectum ad liberum arbitrium; nam essentialiter est opus liberum: ergo bonum opus, etiam ut est à libero arbitrio, est meritorium gratiæ ulterioris; quidni igitur sit beneficium Dei, quo certissime salvantur electi, atque adeo effectus prædestinationis?

Quia, inquit, ille respectus pendet à solo libero arbitrio. v. g. quod actus contritionis sit liber, non habet à gratia, sed à voluntate; nam gratia necessariò influit in illum: ergo prout à voluntate dependet non est effectus prædestinationis, quia non est effectus Dei. Respondet Felix sup. n. 7. negando Antecedens. Nam (inquit) cum talis actus sit supernaturalis, effectivè, & in re dependet à gratia, & dependet à voluntate. Unde si sita est distinctio illa operationis, ut à gratia, & ut à voluntate; quia voluntas & gratia non se habent ut duæ causas parciales portantes lapidem; sed ut duo concurrentes una indivisibili actione, quâvis per accommodationem supernaturalitatis tribuatur gratiæ, & libertas voluntati; unde dicitur, quod effectivè contritio ab utraque causa procedit, licet ut liberatè terminativè procedat à voluntate; sicut paternitas creata à solo filio pendet terminativè, à fundamento autem, & à Deo effectivè. Sic ille. Post Theodorum suprà dicentem: Licet esse à libero arbitrio importet respectum ad liberum arbitrium, & hic respectus à solo libero arbitrio pendeat, ut à puro termino, non tamen ab illo solo pendet, ut à principio effectivo: cum enim sit quid creatum, non potest non pendere effectivè à principio inereato, quod est Deus; & cum bonum opus esse à libero arbitrio in electis pendeat à Deo, ut operante ex absoluta intentione perducendi illos in vitam æternam, sit, ut pendeat à prædestinatione, sitque ejus effectus. Ita præfatus Auctor.

Unde ad argumentum superius positum, scilicet, quod respectus, qui competit rei ad unam causam, non competit ei ad aliam causam, cum respectus multiplicentur pro multitudine terminorum; ad hoc, inquam, argumentum respondet n. 253. Respectus alicujus rei ad unam causam, licet ab ea sola pendeat terminativè, possit simul ab alia causa pendere effectivè, ut paternitas creata à solo filio dependet terminativè, à fundamento autem, & ratione fundendi, & à Deo effectivè, prout omne ens

creatum, sive respectivum, sive absolutum à Deo pendeat necessè est. Aliud exemplum esse potest relatio similitudinis inter duo alba, quæ in uno alborum ab altero pendet ut à termino, ab albedine verò, à dealbatione, à dealbante pendet effectivè. Sic ille.

Quæ cum ita sint, Dico cum Felice sup. contritio totaliter & tota est à gratia; similiter totaliter & tota est à voluntate: nam nulla ratio considerari potest in illa, quæ non dependeat à gratia, ut movente voluntatem, & à voluntate, ut mota à gratia. Alia præterea movetur hic difficultas; utrum gratia habitualis, & merita ab illa procedentia, quæ per peccatum interruptuntur, sint effectus prædestinationis. Communis sententia affirmat (quam sequitur Smil. sup. n. 218. & Felix sup. diff. 2. n. 3.) quia Doctores indefinitè & sine exceptione dicunt, justificationem esse effectum prædestinationis.

Consimiliter indefinitè loquitur Apostolus ad Ephes. 1. v. 4. *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu ejus in charitate.* Et statim subdit: *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorum.* Ergo loquitur de adoptione prædestinativa ratione gloriæ & hæreditatis æternæ, & similiter de electione prædestinativa. Item ad Rom. 8. v. 28. *Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum &c.* Et v. 30. *Quos autem prædestinavit, hos & vocavit, & quos vocavit, hos & justificavit &c.* In doctrinalibus autem (juxta communem regulam) indefinita locutio æquivalet universali. Sicut ergo Apostolus per *ly. justificavit*, intellexit universaliter omnem vocationem, ut satis patet ex dictis; ita quoque per *ly. justificavit*, quæcumque justificationem, vel assignetur disparitas.

Paritas in eo consistit, quod sicut omnis vocationis electorum est beneficium Dei, proveniens ex voluntate efficaci gloriæ, & ad eam consequendam infallibiliter conferens; sic indidem omnis justificatio electorum, etiam interrupta per peccatum mortale, sit beneficium Dei, proveniens ex voluntate efficaci gloriæ, & ad eam consequendam infallibiliter conferens. Quod sit beneficium Dei, nemo negat. Quod autem procedat ex voluntate efficaci gloriæ, probatur (inquit Felix sup.) nam gloria datur non solum secundum intensiorem meriti & gratiæ, quibus reparatur justificatio interrupta; sed etiam secundum intensiorem, quæ præcessit lapsum.

Quod declaratur exemplo: si quis habuit gratiam ut quatuor, & per peccatum illam amisit, & postea resurgit à peccato actu contritionis ut duo, non dabitur illi tantum gratia ut duo, sive statim, sive in fine vitæ, sed saltem dabitur gratia & gloria ut quatuor: ergo talis gratia, ut primò collata, conducit ad gloriam consequendam, & oritur ex voluntate Dei dandi gloriam. Et ratio hujus est; quia jus illius gratiæ, & meritorum non fuit amissum per peccatum, sed tantum impeditum, & ita ablato im-

111.

Contritio totaliter & tota est à gratia sita à voluntate. Felix. Merita per peccatum interrupta sunt effectus prædest. Smiling. Felix.

112.

Probat ex Scrip.

113.

Probat ex ratione.

Gloria datur etiam secundum intensiorem meriti & gratiæ. Felix.

114.

Declaratur exemplo.

Ratio.

pedimento, id est peccato; idem jus manet in acceptatione divina. Ita Felix. Vide me. Theol. Sacram. p. 3. Sect. 7. Conclus. 2. sequentis renoris: Per penitentiam recuperatur omnis gratia quomodolibet comparata, & competit actio secundum jus antiquum ad totam gloriam, ita quod penitens in eandem, quam amisit, hereditatem restituatur, & semper accipiat novum jus gloriæ & majorem gratiam eā, quam habuit ante lapsum.

115.
Potissima
militas gra-
tia interru-
pta, ex Smi-
ling.

Id probè sciens Theod. noster, potissimam & per se utilitatem talis gratiæ ait esse, quod electus propter illam gratiam finaliter habeat jus ad specialem gloriæ gradum, quem non consequeretur, si illam gratiam non habuisset; ut (inquit) nunc suppono ex communi vel communiori doctrina de justificatione peccatoris, per quam docent Doctores, restitui hominem in pristinum gradum justitiæ ac meritum, ita ut gratia præcedens (sive in suo individuo, sive in alio ejusdem gradus individuo, quod perinde est ad Theologicam doctrinam) cum meritis mortificatis per penitentiam reviviscat, & homo recuperet jus ad eum sempiternæ gloriæ gradum, qui ratione gratiæ & meritum ante lapsum sibi competeat. Sic ille. Cur ergo illa prior gratia, per peccatum amissa, non sit effectus prædestinationis? Quia, respondent Adversarii, illa prior gratia in individuo non redit, atque adeo non est causa gloriæ illius.

116.
Effectus
prædest. non
debet in se
manere us-
que ad con-
secutionem
gloriæ.
Smiling.

Respondet Smil. sup. n. 219. non requiri ad prædestinationis effectum, quod in se maneat usque ad omnium prædestinationis effectuum ac tandem gloriæ consecutionem, sed sufficere, quod in aliquo suo effectu maneat usque ad ultimum, vel intermedios prædestinationis effectus; alias (inquit) prima vocatio efficax non esset effectus prædestinationis, cum secundum se non maneat in gloria, neque cum plerisque intermediis effectibus prædestinationis perseveret, sed solum cum primo consensu voluntatis in bonum fit simul tempore. Similiter opera meritoria, quæ nullo peccato mortificata sunt, non omnia perseverant usque ad instans beatificationis; immo nunquam fere tamdiu continentur; tum quia homines fere ante instans mortis aliquanto tempore sunt destituti usu rationis; tum quia post mortem vix ulli statim evolvant in celum absque purgatorio, in quo non est locus merendi. Hæc ille.

117.
Quid suffi-
ciat.

Ex quibus concludit, quod sicut prima vocatio efficax, peccato non interrupta, & merita non mortificata sunt effectus prædestinationis; eod quod illa prima vocatio efficax sit originalis causa reliquorum effectuum intermediorum, & illis proinde mediantibus ultimum attingat effectum, & meritoria opera eundem ultimum effectum attingat mediante augmento gratiæ habitualis, hujusmodi meritis comparato; ita admittendum esse, gratiam peccato perditam, etiam si secundum se non perseveret usque ad ultimum prædestinationis effectum, esse nihilominus effectum prædestinationis, quatenus est causa, ob quam Deus homini electo tandem concedit gratiam similem in graduali perfectio-

ne, quæ perseveret in vitam æternam. Quod autem propter gratiam prius habitam Deus tandem det homini similem gratiam finalem, patet, quia nisi illa præcessisset, hæc non haberetur, inquit prædictus Auctor. Igitur gratia de meritis interrupta, ut primò collata, licet proximè non conducant; tamen ut conjuncta cum penitentia efficaciter influunt in gloriam.

Prorsus, inquit, ut conjuncta cum penitentia, ergo non ex vi voluntatis, quæ primò data sunt; sed ex vi voluntatis, quæ reparantur, ergo ut reparata, & non ut primò data sunt effectus prædestinationis. Prima Sequela probatur, quia per peccatum facta sunt incerta; ergo, si electi voluntate, quæ reparantur, non inferunt infallibiliter gloriam; ergo neque sunt effectus prædestinationis. Respondet Felix sup. ill. non sunt duæ voluntates (scilicet, dandi merita, & ea reparandi) sed una; nam in voluntate expressa dandi merita, quibus prædestinatus consequatur gloriam infallibiliter, includitur virtualiter voluntas ea reparandi, si opus fuerit, ut ex vi voluntatis, quæ primò data sunt, tollatur impedimentum peccati, ad quod sufficit, ut cognoscatur ut possibile vel futurum sub conditione per scientiam naturalem. Ita Franciscus.

Si istes: ergo saltem ista merita, ut prædictæ correspondent voluntati formali, quæ corrupta sunt, non inferunt certò gloriam; sed ut correspondent voluntati illi virtuali, ex vi ejus reparantur. Respondet idem Auctor, negando Consequentiam: quia (inquit) licet voluntas reparandi sit ita necessaria, ut sine illa gratia non inferat gloriam de facto; tamen talis reparatio non confert gratiæ valorem & efficaciam, cum totum hoc habeat ex vi voluntatis, quæ producta est; sed solum est necessaria ex parte subiecti, ut ab eo auferat impedimentum, neope peccatum. Sic ille.

Unde non est necesse, ut Deus permittat illam interruptionem ex intentione reparandis, ac conservationis gratiæ recuperatæ usque in finem (quidquid sit de possibilitate hujusmodi intentionis) sed sufficit intentio perducendi hominem finaliter in vitam æternam, ut prior gratia connectatur cum penitentia; hæc siquidem intentio nequit fortiri effectum, si homo permittatur in peccato mortali usque in finem, atque adeo Deus solum debet permittere peccatum ad certum tempus, quo expulso, vult peccatum abolere per penitentiam, ita ut in voluntate expressa dandi merita, quibus prædestinatus consequatur gloriam infallibiliter, includatur virtualiter voluntas, ut dictum est, ea reparandi, si opus fuerit, & sic ex vi voluntatis, quæ primò data sunt ista merita, tollitur impedimentum peccati.

Licet ergo homo (ut bene advertit Smil. sup. n. 220.) restituatur in pristinæ justitiæ gradum, propter penitentiam, tanquam per remotionem prohibens; adeoque tanquam propter causam per accidens; tamen restituitur in gradum pristinæ justitiæ propter ipsam justitiam pristinam tanquam causam per se motivam & moralem, cujus

cujus intuitu, ablato per penitentiam impedimento, similem gratiam infundit. Dices: causare supponit esse in se, vel in suo effectu; atqui gratia per peccatum extincta est cum omnibus suis effectibus per se annexis; ergo non potest esse causa gratiæ posterioris.

Respondet Smiling supra: illam gratiam perditam neque in se, neque in aliquo effectu suo per se manere physicè; manere tamen moraliter seu in divina acceptatione & æstimatione, ita ut velit Deus hominem, sibi semel gratum, semper gratum habere; adeoque illam gratiam gratum facientem illi semper infundere, quando sublatum fuerit peccati impedimentum: in quo claret mira Dei erga suos amicos benignitas, & si ab amicitia excedant, copiosa apud ipsum redemptionis. Hæc ille. Unde non valet hic argumentum à simili, utputa: Homo, posteaquam alium hominem offendit, & de offensâ penitentiam agit, ac veniam petit & accipit, non dicitur propter priorem gratiam; sed propter penitentiam in gratiam redire; & propter priorem gratiam contempnam, & perditam potius meretur in gratiam non redire.

Hoc, inquam, argumentum non valet: nam scite respondet Theod. sup. Si homo hanc Dei perfectionem imitaretur (prout solent perfecti imitatores Dei) offensus ab amico non plane prioris amicitia oblivisceretur; sed ita esset affectus, ut sublato ex parte amici amicitia obstatulo, mox ipsum in pristinam amicitiam recipere. Quod additur de contemptu; falsum est (inquit idem Auditor) ipsum hoc mereri positive (non enim aliquam poenam positive mereri potest absque decreto divino) licet mereatur negativè, id est, non mereatur recipi in gratiam; quo non obstante, Deus absque hominis merito, intuitu meritorum Christi, decrevit propter priorem amicitiam, non tanquam propter meritum, sed tanquam propter occasionem & conditionem recipere hominem in eandem amicitiam, si ipse cum Dei adiutorio poenituerit, & peccatum, unicum amicitia impedimentum, abstulerit. Sic ille. Et rectè, ut videre poteris apud me loco sup. citato Concl. 1.

Hinc verissimè scriptum est Psal. 76. v. 8. & 10. Nunquid in æternum projiciet Deus &c. Aut obliviscetur misereri Deus; aut continebit in ira sua misericordias suas? Non continebit; nam ut dicitur Psal. 24. v. 10. Univerſa via Domini misericordia & veritas. Sic ergo patet prima, ac potissima, & per se utilitas gratiæ amissæ, ejusque efficacia in electis ad consecutionem gloriæ æternæ. Præterquam (auditis Theod. sup. n. 222.) duæ aliæ ad id possunt utilitates, etiam non ita per se & primò, regulariter tamen ex hujusmodi electorum gratiæ pullulantes. Una est, quod prior gratia communiter fuit præcipium alicujus boni operis, & meritorii vitæ æternæ (nec enim gratia gratum faciens, eam sit semen bonorum operum diu carere solet aliquo boni operis effectu) quod meritum cum ipsa gratia peccato mortificatum in poenitentibus reviviscit, & tandem electis conciliat specialem gloriæ gradum, qui

gradus gloriæ non respondet poenitentia, ut per se causæ, sed ut rempenti prohibens, quemadmodum patet ex dictis

Altera est; quod gratia amissa electis, etiam post lapsum, occasionem præbet multorum operum bonorum; tum quia memoria tanti thesauri, per peccatum perditum solet electis (quibus omnia cooperantur in bonum ad Rom. 8.) addere calcar & ad vehementius poenitendum de peccato, & ad prius damnum operibus poenitentia aliisque exercitiis pietatis compensandum, & ad cautius deinceps in via salutis incedendum, juxta illud D. Aug. de Natur. & grat. c. 28. circa principium: *Deserit aliquantum Deus unde superbis, ut scias non tuum esse, & discas superbus non esse.* Tum etiam; quia status justitiæ præcedentis propter bona opera præcedentia, quæ habet annexa, solet relinquere bonos habitus morales, vel saltem phantasmatum, speciesque intelligibiles, quibus homo promptior redditur ad bene operandum, non solum postquam resurrexit à peccato, quando jam potest de condigno mereri vitam æternam; sed etiam ut resurgat à peccato.

Probatur; nam & peccator (saltem fidelis) potest per bona opera moralia (saltem ex fide facta) de congruo mereri gratiam poenitendi, præsertim per opera misericordiæ, & potest (inquit idem Auditor) ratione bonarum inclinationum ad virtutem esse magis idoneus ad cooperandum gratiæ poenitentiam inspiranti; adeoque ad concipiendam poenitentiam; ejus sunt duæ partes essentielles (loquor modo de actu virtutis poenitentia) nimirum detestatio peccati præteriti, & efficax propositum non peccandi de cætero: melius autem & facilius potest detestari peccatum, ejusque vitandi propositum concipere, qui ad oppositæ virtutis actum habitualiter inclinatur: quoniam licet habitus virtutis acquisitæ non influat in actum poenitentia, quo proximè disponimur ad justificationem, ut nunc suppono; removel tamen prohibens talem poenitentiam cum facilitate concipiendam, quod prohibens est inclinatio habitualis ad peccatum; nam hæc inclinatio habitualis per oppositum virtutis habitum in totum vel ex parte excluditur. Hucusque Smiling.

Et concludit dicens: Constat igitur, gratiam justificantem, peccato perditam variè nihilominus cooperari electis ad vitam æternam consequendam; adeoque esse in ipsis prædestinationis effectum. Nota ly *In ipsis*, id est, in electis; quia licet gratia, quam reprobis amittit, etiam maneat in Dei acceptatione, eique restituatur, dum poenitet de peccato, haud equidem est effectus prædestinationis, sed generalis tantum providentiæ. Discremen est; quod gratia prædestinati dicitur jus ad gloriam infallibiliter consequendam, quod non dicitur gratia reprobi, hoc autem jus oritur ex voluntate Dei. Igitur gratia & meritum, peccato perditum, secundum substantiam possunt esse electis & reprobis communia; at secundum modum, & prout subsunt divinæ providentiæ, non sunt utrique communia

125.
Secunda.

S. Aug.

126.
Ejus probatio.

Smiling.

127.
Gratia deperdita cooperatur electis ad gloriam.

Hæc gratia in reprobis non est effectus prædest.